

gratias tamen ei nihilominus referimus, et pretium pro labore persolvimus, quia remedium adhibuit. Quidni igitur Deo etiam gratias agamus pro flagellis, cum aliud non sit nisi infirmitatum nostrarum curæ et cauteria? *Erit etiam in tribulatione remissio*, inquit D. Chrys. hom. V. ad. *si semper Deo gratias agamus*. E contra desidia et potius impiorum felicitas. Nam et me licet desperatis omnia, quæ placent, sumenda permittunt: et damnati ad mortem per dies aliquot prius bene habentur: et animalia mactanda, ad mortem saginantur: et arbores ac vites igni deputatæ non putantur, sed luxuriantibus ramis diffundere sesse permittuntur.

Itaque: *Omne gaudium existimate fratres cum in variis tentationes incideritis*, Jac. I. agnoscite amicos vestros, et cum gaudio excipite: et ut habeatis quod ante eos ponatis, ad magnum illum amicum currite, qui dabit vobis quicquid necesse est; et post patientiam coronam.

## CONCIO V.

## REQUISITA VARIA ET COMMODA ORATIONIS.

I. Oraturi egrediantur e cæno peccatorum. — II. Orandum cum fide. — III. Orandum devote. — IV. Orandum constanter et perseveranter. — V. Orandum in templis potius quam in locis profanis.

## THEMA.

*Quis vestrum habebit amicum, et ibit ad illum media nocte? Luc. XI.*

Mirantur et rident nos adversarii nostri, acatholici, quod his præsertim diebus deseramus ædes nostras, et exeamus supplicatum ad sanctorum ædes, easque remotiores: *Sinite illos, cæci sunt et cæcorum duces*. Cur enim non miratur etiam illum, qui in hod. parabola ivit media nocte ad amicum suum, panes postulatum? Respondebunt illum non habuisse panes in domo sua, ideo compulsus ivisse ad amicum. Bene est et nos sæpe in ædibus nostris non reperimus panes cælestium gratiarum, quos alibi tamen reperire in ædibus saeris possumus, et factorum interventu a Deo impetrare. Non invenit Naaman in patria remedium lepræ suæ: perrexit ad domum Elisæi, inde ad Jordanem, ibi invenit, IV. Reg. non invenit Chanaanæ medicum filiæ suæ, qui eam a dæmonio liberaret, in tota F. aicia; ivit ergo in Judæam ad Christum Domium, et invenit medicum, filiæque liberatorem, Matth. V. Bene igitur et pie per hos dies ad sacra loca peregrinamur. Verum ut hæc sacra, quæ suscipimus itinera, cum fructu peragamus, et in domo imprimis nostri Salvatoris, necnon sanctorum ejus panem optatum accipiamus, opus est oratione potenti et efficaci,

quam discemus nunc ab ea, quam dixi, Chanaanæ.

I. E finibus Tyri et Sidonis, seu ex Chanaanæ, gentili et impia terra, quam inhabitabant posteri illius Chanaan, a Noe maledicti, egressa venit ad Jesum. Docet ergo primo, oraturos egredi, e peccatorum cæno, saltem cum voluntate ea deserendi, et ad Deum per poenitentiam sese conferendi, novamque vitam inchoandi. Prisci ad orationem fundandam loca munda eligebant, utique a naturæ lumine edocti mundo e corde preces effundendas, ut placere Deo possint. Unde August. in Psal. XXXIII. scrib. ait: *Mundus est locus, oremus hic, dicis. Si ergo loci visibilis te delectat munditia, quare te non offendit immunditia cordis tui?* Locus immundus erat Chanaan, inde igitur egressa est nostra Chanaanæ, quisquis ergo audiri in oratione vult, cor suum expuret a sordibus peccati. Audiatur Chrys. hom. VI. in ep. II. ad Timoth. «Cum sordidus manibus, inquit, orare non audeas, sordes ipsas atque immunditiam offerens ex rapina, nihil grave esse putas, etc?» Et hom. LVI. in Matth. «Si quis pedes tuos stercore sordidatis manibus, supplicando tangeret, non modo non exaudires, verum et in calcibus expelleres. Quomodo igitur audes tu hoc modo Deum orare? Nam qui orat, quasi manu lingua utitur, qua genua Dei supplicando attingit.» Et hom. X. cum presbyter esset designatus: «Quemadmodum in coronis non satis est flores esse puros, nisi pura sit et manus eas contexens; sic et in sacris hymnis oportet non verba tantum esse pia, verum etiam animum hymnos concinentem.» Largissimam benedictionem petit a Deo Salomon orantibus in templo a se extracto, non ausus est tamen petere gratiam qualemcumque, etiam temporalem, veluti pluvias in siccitate, frugum proventum, etc. nisi poenitentibus. Ita enim precatur: *Si clausum fuerit cælum, et non pluerit propter peccata eorum, et orantes in loco isto poenitentiam egerint nomini tuo, et a peccatis suis conversi fuerint propter afflictionem suam, exaudi eos in cælo, etc.* et paulo post: *Si quis cognoverit plagam cordis sui, et expanderet manus suas in domo hac, tu exaudies in cælo, in loco habitationis tuæ, et repropitiaberis, et facies ut des unicuique secundum omnes vias suas*, III. Reg. Itaque nec pluviam unam vel quid aliud impetrandum aut petendum censebat Salomon, nisi prius Deo poenitentia placato.

Secundo, ad orandum egredi a turba, curis domesticis et tumultibus sæcularibus, uti soli cum Deo quietius loquantur. Quod etiam ipso Domini exemplo discimus, qui: *Dimissa turba ascendit in montem solus orare*, Matth. XIV. et XXIII. *Ut tam a tempore quam a loco*, inquit ibi Chrys.

hom. XIV. *tranquillitatem orandi queramus. Tranquillitatis quippe mater eremus est, quietis portus, omnis perturbationis expultrix*. Idem fecit Moyses quando Pharaone dicente: *Rogate pro me*, respondit: *Egressus a te orabo Dominum*, Exod. VIII. et XXIX. Nam ut ibi Lyran. *Præsentibus idololatriæ nolebat orare*. Rursum Exod. IX. et XXIX. *Cum egressus fuero de urbe, extendam palmas ad Dominum*, quia nimirum civitas erat plena idololatria, ait ibi Lyran. Sic iterum Moys. et Aaron, oraturi Dominum prius dimissa multitudine ingressi sunt in tabernaculum federis, Num. XX. et VI. Nimirum uti vasculum ambiente aere non impletur, nisi a liquore in se contento prius evacuetur, ita et cor nostrum non capit dona cælestia, nec ad se trahere potest, donec a terrenis cogitationibus sese evacuet. Unde Ps. CII. dicitur: *Respexit in orationem humilium*, quod sic Hieron. vertit: *Respexit ad orationem vacui*.

II. Oravit cum fide, et primo, quia significat virtutem theologiam, quia vocat Christum *Filium David*, h. e. Messiam, Judæis promissum adeoque Deum. Necessaria est hæc fides quasi basis orationis: *Quomodo enim invocabunt, in quem non crediderunt?* inquit apost. ad Rom. X. et XIV. et Aug. ser. XXXVI. de verb. Dom. *Si fides deficit, oratio perit: quis enim orat, quod non credit?* Et hoc imprimis de fide generali intelligitur. Quare ii, qui vera fide carent, nihil sibi polliceri de precum auditione possunt: quemadmodum et Baalithæ frustra postularunt ignem de cælo, licet miras gesticulationes ederent et se orarent, cum e contra fidelis Elias mox illum impetravit, III. Regum XVIII. Cujusmodi certamen inter catholicos et Arianos Nicææ fuit exhibitum, auctore S. Basilio, qui convocatis Arianis sortem hanc proposuit: «Claudantur templi fores, et firmis utriusque partis signaculis muniuntur. Primumque vos dies tres totidemque noctes in precibus expendite; et siquidem euntibus vobis ad ecclesiam divinitus reserantur, vestri juris æternum manebunt. Sin minus, nos unicum in oratione vigilem agemus noctem, et siquidem mane, cum psalmis et litanis ad eam tendentibus ultro patuerint, nobis tunc perpetuum adjudicabuntur. Ariani cum postulatum æquitatis plenissimum recusare non possent, quod reliquum erat ad preces vigilasque sese componere, toto deinde triduo exacte, ad ecclesiam venere. Sed fores templi perfidorum precibus nequaquam cessere. Itaque demum fessi, inanes recessere: Basilioque tempus precandi similiter concessere. Tum vir sanctus advocata fidelium concione, pernox in precibus divinam cum implorasset opem, facto mane, longosupplicantium agmine *Kyrie eleison* proluxe inelamantium ad templum processere. Aderat Aria-

norum ingens multitudo, parata ad templum occupare, et antistitem cum orthodoxo populo inde repellere, si pariter fores, ad eorum preces mansissent obseratæ. At præsule sancto, sublatis manibus templi valvas in vocibus Christi Jesu virtutem invocante, vectibus vi orationum, et tritis, pessuli laxatis clavis decidere, et osæta tanquam valido concussa vento, liberam orthodoxis, stupentibus admodum Arianis, ingrediendi potestatem fecere. Neque solum hæc, sed etiam particularis alia fides orationi socianda, qua credimus Deum juxta promissionem suam daturum nobis quod petimus, si id expediat nobis, et debito modo petatur. Ita enim Dominus: *Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis*, Marc. XI. Credendum enim fide divina, Deum esse fidelem in promissis suis.

Secundo, quia significat fiduciam seu spem corroboratam, qua animemur ad orandum, velut indubie audiendis: non minus necessaria orant quam fides proprie dicta, de qua diximus. Vult enim Deus ab orante non modo glorificari de sua omnipotentia, qua possit nobis omnia præstare; sed etiam de sua bonitate, qua velit et paratus sit, quantum est in se, ad omnia præstanda. Injuria afficit divitem mendicus, si credat quidem esse potentem sed non esse liberalem, adeoque se ab eo nihil accepturum. Similiter æger medico si reputet quidem artis peritum, sed interim inhumanum et difficilem, adeoque in ipso parum spei ponat. Unde Moyses et Aaron quando in educenda a saxo aqua hæsitantur, non an possit Deus, sed an velit ingrato populo tantum exhibere miraculum et beneficium, Dei indignationem incurrerunt et morti addicti sunt, Num. XX. Jam vero fides orantis gloriatur Dei potentiam, fiduciam, bonitatem, misericordiam et liberalitatem. Hac etiam prædita et excellenter quidem fuit Chanaanæ: nam imprimis appellat eum *filium David*, quasi revocans ei in memoriam patrem Davidem, qui fuerit humanissimus, nec petentibus quidquam negavit: deinde cum a Domino repulsam tulisset, quod non deceret panem filiorum canibus præbere, nihil ob hoc absterrita, sed animata potius, argumentum inde sumpsit convincendi Christum ad se audiendum: *Imo Domine*, inquit, *nam et catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum, q. d. pro me est hoc, quod ais, neque me repellere potes, quia ex ore tuo evincam, quod mihi micam dare velut catello debeas*. Unde Dominus laudans hanc ejus fiduciam exclamat: *O mulier! Magna est fides tua, fiat tibi sicut vis*.

III. Oravit devote, et primo quidem ferventer, quia magna voce, unde discipuli dicunt: *Dimitte*

ram, quia clamat post nos. Clamor ille vocis indicabat clamorem etiam cordis, quod fervide oraret, utpote valde afflictus ex filiae miseria. Clamor hic ubi deest; non facile ascendet oratio ad caelum; quia ut S. Bern. ser. IV. de quadrag. ait: «Tepida oratio in ascensu languescit: fervens caelum sine dubio penetrabit: unde certum est, quod vacua redire non poterit.» Accedit S. Chrys. homil. V. de incompreh. Dei nat. tom. V. «Orationem commendo, quae ab imis animi prodeat. Ut enim arbores, quae radicem altius miserint, quamvis, summum ventorum excipiant impetum, non frangi aut evelli possunt: sic orationes, quas animus de suo reddiderit imo, tute affixae efferunt sese in excelsum, et nullo pervertuntur aggressu cogitationum. Unde propheta insignis ait: De profundis clamavi ad te Domine.» Hoc idem indicabant manus Moysis graves, quae ubi in altum elatae fuerunt, impetrarunt suis victoriam: ubi lassae vero delabi et cadere ceperunt, nihil obtinuerunt, sed vincebat Amalec, Exod. XVII. manus elevatae contentionem orationis, remissae teporem significant. Quare bene consulebat B. Jordanes ord. Praedic. generalis II. orationem saltem initio eum fervore inchoandam: fore nihilominus ut sensim languescat: quemadmodum in choro psalmus alta voce inchoandus est, siquidem paulatim cadit et descendit vox: quomodo et manus Moysis sensim collabebantur.

Secundo, attente; nihil enim aliud vel egit, vel locuta est dum oraret: soli et unicae orationi instabat, quia nihil aliud nisi filiae miseriam cogitabat, cui salutem quaerebat. Qui bene jaculari et scopum tangere vult, fixe arcum tenere, et ad unicum locum, non ad plures intendere debet. Ita: *Inter orandum*, inquit S. Ephrem, l. de panoplia, *si animam vagari permittas, eris velut qui tenet quidem arcum, verum sagittam contra adversarium dirigere nequit, illam in vanum intentione emittens.* Idem alia similitudine declarat S. Gregor. in praefat. l. II. super Ezech. *Mens quae superiora penetrare etiam collecta non sufficit, pensate quid agere possit divisa.* Scimus autem, scimus omnes, quia et fluvius qui in multis rivis dividitur a suo alveo, siccat. Euphrates quamdiu collectus fuit, Babylonem descendit contra Cyri exercitum: at ubi in plurimos alveolos a Cyro distractus fuit, hosti aditum ad urbem occupandam praebuit, ut ex Xenoph. l. VII. Herodoto, l. 1. dictum alibi. Sic orans si ad preces suas attentus et collectus fuerit, magnum ab oratione praesidium habebit, eritque inexpugnabilis; at si culpa sua in varias et inutiles distractus evagationes, nihil ab oratione speret, veit umbra sine praesidio est. Neque hoc solum sed etiam abominatio fit coram Deo,

quales vocantur illi viginti quinque viri apud Ezech. c. IV. inter templum et altare constituti, interim dorsa habentes contra templum, de qua re audiamus B. Pet. Dam. in ep. ad cardinal. l. II. ep. ep. VII. «Hoc unaquaeque mens in divino deputatur examine, quod versat per concupiscentiam in cogitatione. Fornicatione imaginatur vel adulterium, lupanar efficitur meretricium: effusionem sanguinis meditatur et odium, campus est frementium bellatorum: ciborum et suavium epularum versat quis in cogitatione delicias, quid aliud in conspectu Dei videtur, nisi cacabus, sive lebes, in quo cibus excoquitur: controversias tractat, atque litigium, quid aliud, quam tribunal iudicis aspicitur, sive forum, unde cum Dominus ad Ezechielem diceret: Ingrederere et vide abominaciones pessimas, quas isti faciunt hic, praesto subjungit: Et ingressus vidi, et ecce omnis similitudo reptilium et animalium, abominatio, et universa idola domus Israel depicta erant in pariete, in circuitu per totum. Quod enim versatur in mente, tamquam depictum cernitur in pariete. Et mens ipsa earum imagines contrahit, quas sedula meditatione revolvit, et tamquam diversis actionum imaginibus pingitur, prout vana, vel utilia meditatur. Ac si quispiam micantia nunc astra suspiciat, nunc declinet oculos in latrinam: modo miretur radiantis auri fulgorem, modo scabram ferri contempletur aëuginem: sic humana mens terrena dum meditatur et infirma, procul dubio terra conspicitur; cum vero quae pietatis sunt, tractat, cum divina cogitat atque caelestia, merito caelum, templum Dei videtur atque sacrarium.»

Tertio, humiliter et modeste. Etenim se canem nequaquam diffitetur, sed candide fatetur; interim tamen dum jus canum et suam miseriam proponit, non infert conclusionem, sed relinquit potius Christo inferendam. Unde D. Chrys. serm. C. de hac ejus humilitate scribit: «Merito quae se canem confessa est, in hominem commutatur, merito adoptatur in filiam, levatur, honoratur ad mensam, quae se sub mensa laudabili et provida humilitate dejecit.» Et D. Augustinus, in Psalm. LVIII. *Jam dudum canis, inquit, modo mulier. Unde jam mulier quae paulo ante canis? Conspicendo humiliter, non repellendo, quod a Domino dictum erat: et mox: Suscepit humiliter convicium, et meruit beneficium.* Itaque ex horum patrum sententia plus consecuta est quam petiit: una enim cum sanata filia recepta est in Christi filiam. Et cur hoc? Quia Deus ad orationem humilium respicit: quid autem ipsa humiliter, quae se catellum appellat? Etenim canes quidem majores prodesse possunt dominis suis, custodiunt domos, arcant fures, capiunt

lepores, defendunt a lupis oves: catelli vero nihil tale praestare possunt, sed praecise blandire sciunt. Talem se agnosci bona ista femina: *O mulier! magna est fides tua: magna est humilitas tua.* Eadem humilitate quondam Axa illa, filia Caleb et uxor Othonielis, cum a patre suo postulasset terram aquis irriguam, statim accepit irriguum duplex, superius et inferius, Josue XV. Sed qua industria? *Cum suspirasset*, ait text. *sedens in asino.* Ergo humilis hic gestus, et de asino descensus tantam promeruit benedictionem; quid non impetrabit humilitas a Deo, ad dandum paratissimo et ditissimo? Melius longe orationis vehiculum est humilitas quam asinus: ita enim appellatur a Chrys. in Ps. IX. † XIII. *Orationis vehiculum, inquit, invenitur humilitas.*

Quarto, reverenter; quia *adoravit eum*, ait Matth. utique flexis genibus; et jure meritissimo, quia ipsi flectendum omne genu, a quo omnia habemus. Quod si enim reges terrae honorem hunc non admittunt solum, sed requirunt etiam, et non exhibeatur Deo? De Dionys. Sicil. rege refert Laert. lib. II. c. VIII. ipsum aliquando ab Aristippo gravi philosopho interpellatum pro amico, nec tamen preces admisisse: prostratum igitur philosoph. ad pedes regis, gratiam impetrasse. Quod cum vitio daretur philosopho, quasi tantus vir se nimium dejecisset: *Non ergo, inquit, in causa sum, sed Dionysius qui habet aures in pedibus.* Notavit quidem iste factum Dionysii; sed quod regi forsitan non debebatur, certo debebatur Deo, qui dixit per Isai. c. XLV. *Mihi curvabitur omne genu.* Ad hanc reverentiam spectare etiam videtur, ne oratio cum Deo cepta ob profanam causam, vel hominem qualemcumque facile interrumpatur. Cujus rei specimen dedit S. Ludger. ep. Monast. qui: «Cum ad aulam Carol. Magn. imp. evocatus esset, forte tunc antistes, dum consuetudinariis ex more psalmis et orationibus instaret, dixit cubiculario, ut praecederet, se mox, divino peracto officio, secuturum. Dum secundo et tertio nuntiis venientibus, ille ab incepto non moveretur opere, accusatores ejus occasionem se invenisse laetati, ex hoc ipsius facto criminationem cumulabant. Verum, dum completis psalmodiis ante imper. venisset, dixit imper. Quare nostrum mandatum sic difficile accepisti, episcopo, ut tot accersitus nuntiis statim venire despiceres? Quia, inquit, Deum et tibi o rex et cunctis hominibus proponendum arbitrabar: hoc enim mihi praecipisti, curam episcopalem committens, ideo a tuis licet vocatus nuntiis, Omnipotentis servitium intermittere inconveniens judicavi. At mox divino peracto obsequio paratior ad regis imperium veni. Quod responsum ejus

TOME III. — PARS AESTIVALIS.

imp. optimus veneratus: *Gratias, ait, habeto episcopo, quia talem te modo reperio, qualem antea aestimabam.* Fuerunt autem aliqui, qui facta bonitatis tuae, malevole apud me interpe-trati sunt, sed hos deinceps minus gratos habeo, et nullius verba super tua criminatione me ulterius accepturum spondeo, » apud Sur. 26. mart.

IV. Oravit instanter ac perseveranter; tametsi primo non audita, deinde bis repulsam passa ad extremum enim audita est. Certe etiam Moyses ad primum ictum non elicit statim aquam e petra, sed ad secundum, Num. XX. Similiter Elisaeus pallio Eliæ percussit Jordanem primo et non sunt divisae aquae, confortato deinde spiritu rursus percussit, et tum divisit aquas, IV. Reg. Ita egit Chananæa, primo pene sequens; cum responsum non audiret, propius accessit; et denique ad ipsum Christum in domum penetravit, atque ita evicit. Eadem constantia superavit S. Hier. suas tentationes, uti ipse scribit in epist. ad Laetam: *Memini me clamantem, inquit, diem crebro junxisse cum nocte, nec prius a pectore cessasse verberibus, donec rediret Domino impetrante tranquillitas.* Sara illa junioris Tobiae per tres dies et noctes instabat orationi, donec eam Dominus liberaret ab improperio, Tob. III. Mos etiam Christianorum est in necessitatibus publicis per quadraginta horas continuas orandi, tum ad memoriam sepulturae Christi, qui per totidem horas in sepulcro decubuit; tum ut hac continua pulsatione ostium caeli clausum perfringamus. Nemo enim nescit obsessam civitatem continuis assultibus et tormentorum quassatione tandem ad dedicationem cogi; alioquin vero non, si interruptione facta, vires recipiat. Quare non cessandum ab oratione, qui si: «Permaneam postulando, inquit D. Chrys. hom. XXIV. in Mat. etiamsi non continuo accipias, accipies tamen; propterea quippe ostium clausum est, ut tu ad pulsandum inducaris: ideo non celeriter annuit, ut tu diutius inquiras. Permane igitur in querendo atque pulsando, et absque ambiguitate percipies.»

V. Secuta est Christum usque ad domum, in qua ipse sibi hospitium delegit; et in ea demum quod petiit impetravit, ut habet Marc. c. VII. Oravit quidem et in via, unde dicebat apost. *Dimitte eam, quia clamat post nos*, sed in domo primum audita est. Docet igitur orationem majori fructu fieri in ecclesia et domo Dei, quam in aedibus profanis vel aliis locis. Audiamus S. Chrysost. hom. LXXIX. ad pop. «Et domi quidem, inquit, orari potest, si autem ut in ecclesia non potest, ubi tanta patrum multitudo, ubi clamor ad Deum unanimiter emittitur. Hinc

enim majus aliquid est, puta unanimitas et consonantia, charitatisque vincula et sacerdotum orationes. » Certe etiam in v. t. sacra loca ad orandum et delegerunt et audierunt, ut imprimis templum Salomonis, de quo ipse in sua oratione ita precatur: *Tu exaudies in loco isto, etc. q. d. magis hic quam alibi.* 1. Macch. III. XLVI. dicit: *Venerunt in Masphat contra Jerusalem, quia locus orationis erat in Masphat ante in Israel, quia scilicet Samuel oratione sua consecrat Masphat,* 1. Reg. VII. In montem Moria, Abrahæ sacrificio sacratum, perrexit Rebecca, ut consuleret Dominum, Genes. XXV. in Hebron ire voluit Absalon velut voti reus, II. Reg. XV. Jo. IV. patriarch. morum. insign. Hebræi ter in anno ad templum vel tabernaculum peregrinabantur ex præcepto Deut. XVI. quod et ipse Dominus servavit. Quin et gentiles aliqui confluebant Jerosolymam, ut ibi adorarent, Jo. XII. et eunuchus Candacis reginæ, Act. VIII. de Christianis antiquis testimonia habemus plurima. Scimus, de S. Hel. quod religionis causa venerit Jerosolym. ex Euseb. lib. III. de vita Constant. et S. Ambr. orat. de obitu Theod. S. Hier. invitavit Romæ nobiles matronas, ut in terram sanctam peregrinarentur, et persuasit non paucis. Idem Rusticum ut votum eundi illuc persolvat, monet, ep. XLVI. necnon Desiderium, ep. LIV. in quo ait: *Certe adorasse ubi steterunt pedes Domini, pars fidei est:* et in ep. ad Marcellum asserit, homines, Deo devotos putare se minus religionis et scientiæ habere, si terram sanctam non viderent. S. Alexium commendat B. Virginio imago, qui relictis nuptiis peregrinus factus Edessam venit, ibique decem septem annos in vestibulo ædis B. V. transegit. Dixit enim ædis custodi: *Introducito servum Dei qui dignus est regno celorum.* Accedunt hæ rationes: nam primo, peregrinationes cedunt ad Dei honorem, et ss. cum eorum gratia et amore itinera suscipimus, et patrios lares deserimus, parentes, liberos, filios, alia sua commoda, opificia, negotiationes et lucra. Sicut enim ad honorem Salomonis fuit, quod regina Saba ad ejus aulam visendam et sapientiam audiendam venit: et sicut ad honorem medici facit, si ad eum passim ægri de longe veniant, ejus opem implorantes: ita ad honorem Dei et ss. cedit, si ad eorum ss. ædes et reliquias peregrinemur opem postulantibus. Et sicut Antonius, v. g. glorificatus

fuit ex eo, quod e longinquo plurimi homines ad ipsum visendum abierint in desertum: ita procul dubio sanctis ad honorem cedit, si eorum ædes pie visitentur.

Secundo, sunt opera pœnitentiæ et satisfactionis, quia laborem et mortificationem continent. Imprimis in pedibus incedere, vili habitu se vestire, parum commode per viam tractari, humi vel in stramine cubare, cœlum, frigus aut pluvias sustinere, certe patientiam requirunt. Quare Democritus philosophus interrogatus, quid prodesse peregrinationes, respond. *Vitæ frugalitatem docent. Ossa quippe et thorax herbaceus, famis ac laboris dulcissimæ medela sunt,* Stob. ser. XXXVIII. Deinde gravibus olim peccatoribus pro pœnitentiæ longinquæ vel etiam perpetuæ peregrinationes injunctæ, ut Conrado cuidam Germano sub Ladislao rege Hung. in vita S. Emerici, 4. nov.

Tertio, augent devotionem. Præsentia enim loci sancti valde celebris vel miraculosa, aut magni alicujus sancti, sanctum horrorem et devotionem incutunt non raro. Sæpe ibi corriguntur et compunguntur peccatores. Cujus exemplum refert Tursellinus, in hist. Lauret. l. V. c. ult. de quodam flagitioso homine, qui ædem Lauretanam impudenti fastu ingressurus, divinitus repulsus est, unde adiens confessarium, quid sibi contigisset, recensuit et confiteri cœpit: sed quia impie meditatus nec integre confitebatur, dimissus a confessario, ut præmeditatus rediret, cum hoc consilium sperneret, iterumque ædem intrare vellet, iterum repellitur. Quare compunctus redit cum lacrymis ad confessarium, et ex integro confitetur: tum nullo labore ad ædem admissus est. Bene ergo S. Chrys. ait ho. LXVI. ad pop. *Faturi judicii vestigia et signa sanctorum ædes exhibent, ubi demones flagellantur, corriguntur homines et liberantur.*

Vidimus auditores, orandi magistram, mulierem Chananæam; mulierem inquam gentilem, non christianam, quæ tamen, ubi audita est, beneficio orationis suæ Christiana effecta est: neque dubium est, quin ab eo tempore vitam instituerit christiano nomine dignam. Et hoc unde obtinuit nisi per orationem, omnibus numeris constantem? Eam igitur orandi rationem et nos imitemur; sic etiam fiet ut bene et pie vivamus; quia non temere dixit S. Aug. hom. IV. et L. *Recte novit vivere, qui recte novit orare*

## IN FESTO ASCENSIONIS DOMINI.

EVANGELIUM. MARGI ULT.

In illo tempore, recumbentibus undecim discipulis apparuit illis Jesus, et exprobravit incredulitatem eorum et duritiam cordis, quia his qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. Et dixit eis: *Euntes in mundum universum prædicate evangelium omni creaturæ: Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit. Qui vero non crediderit condemnabitur. Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur. In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit, super ægros manus imponent, et bene habebunt. Et Dominus quidem Jesus, postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, et sedet a dextris Dei. Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooparente, et sermonem confirmante sequentibus signis.*

### CONCIONES.

- I. *Christus ascendens aquilæ comparatur.*
- II. *Triumphus ascendentis Christi.*
- III. *Causæ ascensionis Christi.*
- IV. *Circumstantiæ ascensionis reliquæ.*
- V. *Cur in die ascensionis Christi fiat mentio judicii.*
- VI. *Quomodo Christum prosequi et comitari in cœlum quisque debeat.*
- VII. *Via et ratio ad cœlos ascendendi post Christum.*
- VIII. *Quid rependendum Christo pro beneficiis.*
- IX. *Miracula credentium quomodo spiritualiter edenda.*

- X. *Documenta.*
- XI. *Mysteria.*

### CONCIONES AUCTARII.

- I. *Gaudendum nobis de ascensione Christi.*
- II. *Desiderium ascendendi in cœlum excitatur.*
- III. *Cur ascensio Christi dicatur admirabilis.*
- IV. *Quatuor viæ in cœlum ex monte Oliveti.*
- V. *Tribus miraculis continuis cur in monte Oliveti illustrare Christus voluerit ascensionem suam.*

### CONCIO I.

CHRISTUS ASCENDENS AQUILÆ COMPARATUR.

- I. *Ob admirabilem ascensionem.* — II. *Ob amorem erga discipulos.* — III. *Ob sollicitudinem de suis.* — IV. *Ob providentiam erga suos.* — V. *Ob justitiam in nos.* — VI. *Ob liberalitatem.*

#### THEMA.

*Assumptus est in cœlum et sedet a dextris Dei.*  
Mare. ult.

Ezech. XVII. præcepit Deus Ezechieli, ut domui Israel proponeret hoc ænigma: *Aquila grandis magnarum alarum, longis membrorum ductu, plena plumis et varietate, venit ad Libanum, et tulit medullam cedri.* Ad litteram significabat hoc ænigma, venturum Nabuchodonosorem regem Babylonis potentia et opibus maximum, cum magno exercitu in Jerusalem, et inde ablaturum præcipua ac pretiosa quæque. Sed quoniam unius

Scripturæ sacræ non unus tantum est sensus a Spiritu sancto intentus, et idem ænigma pluribus modis solvi potest, possumus nos aliter solvere hoc ænigma sensu allegorico. Dicimus enim Christum esse hanc aquilam, qui in die ascensionis suæ, magnis potentiæ alis, magno sanctorum patrum (veluti membrorum suorum) ductu et exercitu, plenus decore et gloria tam corpore quam animæ, venit ad Libanum cœli, et ibi accepit medullam cedri, id est, supremam gloriæ sedem, utpotè a dextris Dei. Quod non male exposuerim hoc ænigma, testem advoco Sanctum Gregorium, qui hom. IV. in Ezechielem asserit, quatuor illis animalium, hominis, vituli, leonis, aquilæ vultibus Christum designari: *Totum, inquit, simul nobis est Christus.* Quia et nascendo homo, et moriendo vitulus, et resurgendo leo, et ad cœlos ascendendo aquila factus est. Testem S. Maximum, qui hom. II. de pentecoste ait: *Sicut aquila humilia deserti, alta petit, cœlo-*